

quia non minus est de ratione objecti pravi quod specificet, quam de ratione objecti boni; de ratione autem principii, seu causæ specificantis est quod non in alio attingatur, sed in se directe, et primo; ergo si objectum pravum est specificans, non minus requiritur, quod sit directe volitum, quam objectum honestum, aut si sufficit pro specificatione in objecto pravo, quod sit indirecte, et virtualiter volitum, cur non sufficiet in objecto honesto?

LXXIII. Confirmatur ex regula supra posita a D. Thoma quæst. xviii articulo xi, quod quando circumstantia non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi supposita alia ratione, a qua habeat actus speciem boni, vel mali, tunc non dat speciem actui. Ergo ut det speciem tam ipsa circumstantia, quam objectum, oportet quod non præsupponat aliquid prius, in cuius virtute detur species; ergo oportet, quod ipsum directe attingatur ut specificare possit. Et hoc dicit tam de bono, quam de malo; ergo æqualiter in utroque requiritur, quod directe sit volitum id quod dat speciem.

LXXIV. Respondetur negando consequentiam. Et ad probationem respondetur, quod ratione objecti pravi est quod specificet non ratione malitiæ formaliter considerata, sed ratione bonitatis adjunctæ, quæ allicit, et attrahit voluntatem, sed quia contra legem attrahit, dicitur ex specie sua constituere actum pravum, eo quod ipsa objectiva ratio attrahens, et movens habet deformitatem illam adjunctam. At vero objectum bonum etiam ratione honestatis debet attrahere, et movere, eo quod movet, et specificat in quantum bonum honestum, non ut delectabile præcise, aut utile, et sic ipsa honestas movere debet. Ita-

que verum est, quod omne specificativum ut tale debet esse volitum directe, id est, in se immediate, et non ratione alterius prius voliti, in quo contineatur; sed tamen objectum, vel circumstantia mala est directe volita ut delectabilis, vel utilis, et quia sub hac ratione directe est volita, quamvis sub ratione malitiæ sit indirecte attacta, vel non recusata adhuc specificat actum malum, quia malitia nunquam allicit, nec causat, aut specificat ratione sui, sed ratione sui adjuncti, scilicet delectabilis, vel utilis, quod voluntatem attrahit aut movet. At vero bonum honestum movet ratione sui, id est, ratione honestatis, non ratione alicujus adjuncti, pura ratione delectabilis, vel utilis, hoc enim proprium est objecti mali, quod non nisi involutum altera ratione apparentis boni, et non ratione sui possit movere, aut objici voluntati. Et ideo si objectum quod specificat, vel circumstantia, quæ transit in conditionem objecti bonum honestum est, oportet quod ratione honestatis moveat, et terminet voluntatem non ratione alicujus boni adjuncti, scilicet utilis, vel delectabilis sicut malum. Et ideo sufficit ad actum pravum, quod malitia sit non recusata, vel circumstantia prava virtualiter, et indirecte admissa dummodo utilitas, vel delectabilitas qua tangitur directe sit attacta. Per hanc enim movet, et specificat voluntatem objectum pravum, bonum autem honestum per seipsum, quia honestum est.

LXXV. Instabis: Objectum pravum, vel circumstantia prava specificans debet specificare, et movere quatenus moralis est, et in linea morali posita, si quidem actus specificatur ut moralis, et in genere morali, sed bonitas illa utilis, vel delectabilis, qua afficitur non est bonitas moralis, sed naturalis, si

quidem actus ille non specificatur a bonitate morali, quia illam non habet, sed a malitia, quia in sua specificatione malus actus est; ergo non respicit directe bonitatem illam utilem, vel delectabilem ut specificetur ab illa, sed malitiam a qua specificatur in genere morali, vel potest specificari ab eo quod est indirecte volitum, et in alio.

LXXVI. Respondetur concedendo specificationem istam pravam esse in genere, et linea morali. Bonitas autem illa delectabilis, vel utilis, qua afficitur malum licet entitative sit aliquid naturale, fundamentaliter tamen, et reductive est aliquid morale, quatenus conjungitur deformitati ad regulam rationis, et malitiam moralem fundat, et hoc sufficit ut possit in linea morali specificare, et directe attingi a voluntate, quia movet, et attingitur ut bonum quoddam habens moralitatem pravam adjunctam, et afficiens ipsam malitiam eadem bonitate apparenti, ut possit sub illa appeti non solum ut naturalis bonitas est, sed etiam ut conjuncta deformitati a regulis rationis. Unde non sequitur, quod specificet in ratione morali id quod est indirecte volitum, scilicet, malitia secundum se, sed ut affecta bono utili, vel delectabili, quod fundamentaliter, et reductive morale est ex conjunctione ad malitiam moralem, et fundatione illius, et quia hoc bonum habens adjunctam illam aversionem, et malitiam directe movet, et specificat, dicitur aliquid morale specificare, et movere, quia id quod directe movet fundamentaliter, et reductive malum morale est, licet malitia secundum se non moveat, et bonitas ipsa qua afficitur, et quæ ei conjungitur entitative naturalis sit, fundamentaliter autem moralis, et qui attingit directe fundamentum moralitatis, ut delectabile, et ipsam moralita-

tem fundatam non recusat, nec aversionem ei adjunctam, sufficienter specificatur ab illo objecto etiam in genere morali malo. Nec enim alio modo malum capax est specificare, movere, vel causare, nisi ratione boni adjuncti, quia malum ut malum impotens, et infirmum est de se.

LXXVII. Ad confirmationem respondetur regulam D. Thomæ verissimam esse, et verificari tam in circumstantia bona quam in mala, tam in objecto pravo quam honesto. Et ita malum objectum quando specificat, vel circumstantia mala quando transit in conditionem objecti, non supponit aliam rationem priorem specificantem, distinguo; aliam rationem priorem tamquam fundamentum suæ malitiæ, et sibi adjunctam, nego; aliam rationem priorem a se omnino distinctam, et aliud fundamentum habentem, concedo. In omni enim malo morali, sive sit objectum, sive circumstantia datur et fundamentum malitiæ, et malitia ipsa fundata, et ex utroque fit unum nec separari debet in specificando fundamentum a malitia, nec censetur esse aliquid prius in specificando fundamentum circumstantiæ praviæ, aut objecti mali ab ipso malo objecto, et circumstantia, quia non est mala circumstantia nisi in aliquo fundamento fundata. Cum ergo dicitur malam circumstantiam, si supponit aliam priorem rationem non specificare, nec transire in conditionem objecti, non intelligitur per ly aliquam priorem rationem, illa ratio, quæ est fundamentum malitiæ in ipsa circumstantia, hoc enim fundamentum ab ipsa circumstantia non secernitur, sed in ea includitur, cum ejus fundet malitiam; sed intelligitur aliquid a circumstantia distinctum, tam quoad malitiam quam quoad fundamentum ejus.

LXXVII. Secundo objicies: Nam

bonitas mediæ est bonitas utilis in quantum bonitas mediæ est, sed utile non amatur propter se, nec movet ratione sui, sed ratione finis operantis, seu cujus gratia. Ergo ad movendum, et specificandum actum non sufficit finis operis, et motivum objecti, seu esse volitum ut objectum, sed finis et motivum operantis, seu esse volitum ut finis. Confirmatur ex D. Thoma, qui supra quæst. XIII, art. 1 dicit, quod qui vult pati martyrîum propter charitatem, materialiter esse actum fortitudinis, et formaliter charitatis; ergo specificatio actus boni sumitur a fine operantis, non a fine operis immediato, si quidem quod materialiter se habet in actu non dat speciem, sed quod formaliter.

LXXIX. Respondetur ex his quæ supra diximus disputatione præcedenti (ostendendo finem operantis non dare speciem actui, sed esse circumstantiam) quod utile non amatur propter se tamquam propter motivum finale, et primarium, seu primo movens, concedo; tamquam propter motivum proximum, et immediatum, ac participatum a fine, nego. Bonitas enim mediæ, licet non sit bonitas principalis, et primaria, et cujus gratia, est tamen bonitas participata, et derivata a fine, et potest esse bonitas honesta, non per se primo, sed participative quatenus subest fini honesto, et per se ordinatur ad illum, eique deservit; hoc enim quod est deservire fini honesto etiam honestum est, saltem respectivo, et participativo. Et ita licet bonum dividatur in utile, honestum, et delectabile, tamen non repugnat quod honestum etiam participative inveniat in ipso utili, licet secundum se sint distincta bona, et ita ipsum utile bonitatem habet etiam per se appetibilem, licet non per se primo, sed per se derivative, et participative a fine.

LXXX. Ad confirmationem respondetur S. Thomam dicere quod ille actus martyrîi: « Est materialiter fortitudinis, et formaliter charitatis, » non formaliter specificative, sed formaliter motive, seu imperativo; quia enim movens formaliter se habet, seu active, mobile autem materialiter, et passive, ideo ubi unus actus dependet ex motione alterius dicitur materialiter, seu passive se habere ad moventem, formaliter autem, et active se habere ipsum moventem. Et hoc patet ex ipso textu: nam id quod materialiter dicitur a D. Thoma se habere, dicit substantialiter pertinere ad actum, perfici autem per id quod est ab imperante, seu movente, et inde colligit actum electionis pertinere quoad substantiam ad voluntatem, præsuppositive autem ad rationem a qua movetur. Quod autem ad substantiam pertinet, ad speciem seu quidditatem spectat.

LXXXI. Tertio objicies: Aristoteles VII ethicorum, cap. VII et VIII ponit discrimen inter temperatum et continentem, quia continens potest esse absque eo quod operetur propter honestatem, temperatus autem non, quia operatur ex habitu, non vero continens; sicut etiam intemperatus dicitur qui operatur propter exuberantes voluptates, non vero incontinentem. Ergo secundum philosophum bene potest dari actus bonus, qualis est continentia, etiam si non fiat propter honestatem. Et rursus eodem modo loquitur Aristoteles de hac conditione operandi propter finem in malitia et in bonitate, in incontinente et continente; sed in malitia non requiritur, quod actus ut sit malus fiat propter malitiam; ergo neque in bono id requiretur, et sic philosophus non posuit istam conditionem faciendi propter honestatem, ut requisitam ad hoc ut actus sit bonus moraliter.

Confirmatur, quia Aristoteles II ethicorum, cap. IV, agnoscit aliquando fieri iusta non iuste; ergo concedit actum bonum moralem sine hoc quod fiat ex honestate iustitiæ, qui enim iusta facit, bonum actum facit, quem tamen fatetur Aristoteles posse fieri non iuste, id est, non propter ipsam honestatem virtutis.

LXXXII. Respondetur Aristotelem non dicere quod continens non operatur propter honestatem, quin potius comparat, et assimilat continentem temperato in hoc, quod neuter operatur præter rationem ob delectationes corporales, sed differunt, quia continens adhuc habet pravæ passionis insurgentes, temperatus autem non; et secundo, quia continens delectatur in passionibus illis sed non ducitur, temperatus autem non delectatur passionibus, quia non insurgunt in eo, sed operatur ex habitu. Ita videri potest apud Aristotelem citato loco, et D. Thomam ibi lect. IX, circa finem. Si ergo juxta philosophum, continens non operatur præter rationem, sed resistit passionibus pravæ, ita ut non ducatur ab illis, manifestum est quod operatur secundum rationem; ergo et secundum honestatem solum vero affirmat philosophus quod continens oblectatur quidem, quia passionis illas habet, hoc est sentit, sed non consentit delectationi, quia non ducitur ab illa, nusquam vero dicit, quod non operatur propter honestatem.

LXXXIII. Ad id vero, quod dicitur de intemperato, et incontinente, respondemus Aristotelem docere, quod intemperans est, qui exuberantes voluptates ob electionem, atque ob ipsas, et ob nullam rem aliam inde provenientem persequitur: incontinentem autem non ex electione, et propter ipsas, sed propter vehementiam passionis, delectatio-

nes persequitur. Ubi non est sensus philosophi quod intemperatus persequatur delectationes propter malitiam ipsam, sed propter affectum nimium ad ipsas delectationes, incontinentem vero propter passionis vehementiam, et non tam ex ipsa delectatione operis, quam ne affligatur a spinis, et aculeis passionum, ideoque ex infirmitate peccat, hoc est quia non valet sustinere. Unde incontinentem, quia retinet affectum ad bonum finem, quantum est de se est pœnitivus, et reducibilis transeunte passione; intemperans vero non, quia corruptum affectum habet circa ipsas delectationes, nec solum sibi placent ex passionis vehementia, sed ex habitu, quo illis affectus est. Nec sequitur ex hoc, quod si sufficit malitia non recusata, aut indirecte volita ad hoc ut actus sit pravus, etiam sufficere honestas indirecte volita ut sit bonus, quia malitia non potest ratione sui esse volita, sed ratione delectabilis, vel utilis adjuncti; honestas vero per seipsam amari potest, et debet, quia hoc rationis est. Aristoteles autem non loquitur æqualiter de actu malo, et de bono quoad hanc conditionem volendi propter ipsum, nec in eo æquiparat continentem, et incontinentem (ut diximus) sed in aliis conditionibus relatis, quibus distinguit continentem a temperato, et incontinentem ab intemperato.

LXXXIV. Ad confirmationem respondetur, quod Aristoteles fatetur posse nos facere iusta non iuste, loquendo de re iusta materialiter, non formaliter; ut cum quis rem alias bonam facit ex pravo fine, ut elemosynam ob vanam gloriam. Potest etiam facere iusta non iuste, quantum ad modum ex parte operantis, quia non ex habitu operatur, nec ex firmo animo. Et tunc facit actum bonum moraliter, et

potest per repetitionem illius acquirere habitum bonum, sed ille actus etiam ex parte finis bonus est, et ob honestatem factus, et quantum ad hoc habet bonum modum, et fit juste, sed ex parte operantis non fit ex habitu, et sic dicitur non fieri juste, id est, non ex animo firmato ad justitiam.

ARTICULUS II.

Qui de circumstantiis aggravantibus, vel minuentibus, et non dantibus speciem?

I. Circa istas circumstantias tantum aggravantes, et non dantes speciem, de quibus agit D. Thomas in altera regula a nobis supra posita, difficultates aliquæ se offerunt, quas sigillatim oportet explicare.

QUOMODO DISCERNATUR CIRCUMSTANTIA PUREA AGGRAVATIVA A SPECIFICATIVA?

II. Primo ergo inquires, quomodo possit dignosci quando circumstantia est tantum aggravans, et non dans aliquam speciem etiam accidentalem; quando vero dat distinctam speciem malitiæ, sive essentialem, sive accidentalem.

III. Respondetur hoc debere colligi ex regulis D. Thomæ supra positis. Nam quoties aliqua circumstantia ratione sui, et non ratione solum alicujus præsuppositi dicitur specialem ordinem ad rationem, sive in pro, sive in contra, talis circumstantia constituit, seu de se constituere potest speciem moralem. Ut si ex se et ex propria ratione opponitur alicui speciali virtuti, et sic dicitur specialem ordinem, et respectum oppositionis ad rationem, talis cir-

cumstantia constituit specialem malitiam, seu speciem aliquam mali. Et hoc a posteriori colligitur, quia si illa circumstantia inveniretur in actu sine illa priori ratione, vel malitia, daret primam, et essentialem speciem, quia tolleretur specialem ordinem, seu regulationem rationis, quæ est specialis virtus, et illa sublata constitueret malitiam tamquam primam speciem illius actus in genere mali; ergo de se illa circumstantia habet sufficientem rationem ad constituendam speciem. Quod vero de facto aliquando non constituat speciem essentialem actus, erit ex eo quod advenit actui supponendo aliquam priorem speciem malitiæ, per quam est constitutus, sicut si furto advenit ratio sacrilegii, quia fit in loco sacro, aut mœchiæ adveniat ratio nova injustitiæ, quia fit ex intentione furci, aut homicidii. Et in tali casu ista secunda circumstantia adveniens constituet speciem accidentalem, quia malitia quam præbet non est intra spheram, et ordinem malitiæ prioris specificantis actum, sed omnino distincta, et alterius speciei; sed quia ista distincta species malitiæ est superveniens primæ, et eam præsupponens, dicitur accidentaliter respectu illius, de se tamen sufficiens malitia est ad dandam, et constituendam speciem moralem. Nec enim istæ species ita se habent, quod una sit substantia, et aliæ accidentia, sed omnes accidentia sunt respectu entitatis actus. Unde non repugnat, quod illa quæ de se est sufficiens dare primam moralem speciem actui, det accidentalem speciem, si superveniat illi, vel e converso, prout in ipso actu habuerit rationem objecti, vel non habuerit.

IV. Quando autem circumstantia ex se, et ex propria ratione non respicit specialem ordinem rationis in

pro, vel in contra, quia non respicit ordinem rationis ex se, nisi aliqua alia circumstantia, vel ratione priori præsupposita, talis circumstantia non est constitutiva speciei distinctæ priori, sed tantum aggravativa, vel minorativa illius intra eandem speciem, sicut quantitas furci, non addit distinctam speciem a furto, sed aggravat, vel minorat furci malitiam, eo quod quantitas rei non opponitur ordinationi, et regulationi rationis, nisi supponendo rem esse alienam, et hac ratione præsupposita, et non ratione sui præcise, induit respectum, et ordinem ad rationem. Unde intra illam speciem opponitur rationi, non extra illam. Et ratio hujus est, quia remota illa priori ratione, verbi gratia ratione alieni, quantitas illa major, vel minor non manet specialiter prohibita, nec opposita specialiter ordini rationi, sed manet indifferens: ergo signum est, non habere specialem malitiam, sed si quam habet, vel addit, est intra speciem illam, quam præsupponit, et ratione cujus dicit ordinem ad rationem. Et istæ dicuntur circumstantiæ aggravantes, vel diminuantes, non constituentes speciem, quia ratione sui non dicunt specialem ordinem ad rationem in pro, vel contra, sed solum intra aliam priorem rationem specificativam, quam extendunt vel minuunt.

V. Sed contra istam regulam dignoscendi, et discernendi circumstantiam aggravativam a specificativa, occurrunt plures difficultates, et instantiæ, quæ possunt fieri in contrarium. Nam verbi gratia in furto sacrilego, etiam locus sacer remoto furto non est specialiter prohibitus, sed indifferens manet ad bonum, et ad malum; et tamen posito furto non est solum aggravativa circumstantia, sed etiam specificativa, quia dat distinctam speciem a furto, utpote sacrilegium,

quod opponitur distinctæ virtuti, scilicet religioni; ergo regula tradita deficit. Idem apparet in materia luxuriæ, nam circumstantia personæ, verbi gratia, quod sit uxorata, vel consanguinea, remota priori malitia mulieris alienæ non habet specialem oppositionem ad rationem, neque malitiam aliquam specialem, aut prohibitionem, et tamen constituunt distinctam speciem, et malitiam specialem per se in ipso actu; ergo etiam si aliqua ratio non dicat specialem ordinem ad rationem nisi supposita aliqua priori ratione, et non alias, non propter hoc erit circumstantia aggravativa tantum, sed etiam potest esse specificativa.

VI. Secundo urget e contrario, quia potest aliqua circumstantia per se dare speciem, seu malitiam specialem etiamsi ad sui malitiam necessario supponat aliquam priorem rationem mali; sicut patet quod quantitas in furto non dicit ordinem contra rationem, nisi supponendo rationem alieni in ablatione, et tamen sola quantitas sufficit constituere malitiam mortalem, ut si quis furetur centum aureos, quam non sufficit constituere sola ablatio rei alienæ præcise sumpta prout abstrahit a quantitate magna, vel parva, ut patet in furto unius ocii, quod est peccatum veniale. Malitia autem mortalis est per se, et essentialiter malitia, imo malitia venialis est analogice solum peccatum cum peccato mortali. Ergo falsum est, quod specialis malitia, seu species malitiæ non possit dari a circumstantia, nisi quando de se dicit aliquem ordinem ad rationem non supponendo aliam rationem priorem, cum quantitas magna, quæ est circumstantia in furto constituat malitiam mortalem.

VII. Confirmatur, quia in prodigalitate, excessus ex parte dantis, et